

Ioan. 8. 12. Ego sum lux mundi: & iterum, Ego sum lumen uerum, quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges terrae offerent gloriam. Reges terrae filios dei dicit. Et portae eius non claudentur die. Nox enim ibi non est, usque in aeternum. Et ferent gloriam & honorem gentium, in Christo utique credentium. Et non introibit in eam omne immundum, aut faciens abominationes & mendacium, nisi qui scriptus est in libro uitae & agni. In medio plateae eius fontem baptismi ostendit, in medio ecclesiae uenientem a deo & Christo. Nam quale decus ciuitatis potest esse, si flumen per medium plateae eius ad impedimentum habitantium descendit? Et ex utraque parte fluminis lignum uitae faciens fructus duodecim per singulos menses, & reddens fructum suum. Donante Iesu Christo domino nostro, Qui uiuit & regnat cum patre & spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

Expositionis in Apocalypsim finis.

AD LECTOREM.

Habes hic eucharistias, doxologias & preces aliquot pias ac doctas, quarum excerptis postremis Augustinum fuisse autorem, nec asseuerare uelim, nec inficiari; illud res indicat ab eo proditas, qui libros Augustini non indiligenter legit. Titulum addiderant

LIBER MEDITATIONVM.

Caput I



DOMINE deus meus da cordi meo te desiderare, desiderando quærere, quærendo inuenire, inueniendo amare, amando mala mea redimere, redempta non iterare. Da domine deus meus cordi meo penitentiam, spiritui contritionem, oculis lachrymarum fontem, manibus elemosynae largitatē. Rex meus, extingue in me desideria carnis, & accede ignem tui amoris. Redemptor meus, expelle a me spiritum superbiam, & concede propitius thesaurum humilitatis tuae. Saluator meus, amoue a me furorē irae, & indulge mihi benignus scutum patientiae. Conditor meus, euelle a me animi rancorem, & largire mihi mitis mentis dulcedinem. Da clementissime pater mihi solidam fidem, spem congruam, charitatem continuam. Rector meus, auerte a me uanitatem, mentis inconstantiam, corporis uagationem, oris scurrilitatem, oculorum elationem, uentris ingluuiē, opprobria proximorum, scelera de tractionum, curiositatis pruriginē, diuitiarum cupidinem, potentatum rapinā, inanis gloriae appetitum, hypocrisis malum, adulationis uenenum, contemptum inopum, opprobrium debiliū, auaritiaē ardorem, inuidiaē rubiginem, blasphemiae mortem. Resca in me factor meus temeritatē iniquam, pertinaciam, inquietudinem, ociositatem, somnolentiam, pigritiam, mentis hebetudinem, cordis caecitatem, sensus obstinationem, morum truculentiam, boni inobedientiam, consilij repugnantiam, linguaē effrenationem, pauperum praedam, impotentium uiolentiam, innocentium calumniam, subditorum negligētiam, circa domesticos serueritatem, aduersus familiares impietatem, erga proximos duritiam. Deus meus misericordia mea, oro te per dilectum filium tuum, da mihi misericordiae opera, pietatis studia, compati afflictis, consulere erroneis, succurrere miseris, subuenire egenis, consolari mœstos, releuare oppressos, pauperes recreare, flebiles refouere, dimittere debitoribus, parcere in me peccantibus, odientes me diligere, pro malis bona reddere, neminem despiciere, sed honorare: bonos imitari, malos cauere, uirtutes amplecti, uitia reijcere, in aduersis patientiam, in prosperis continentiam, custodiam oris, & ostium circumstantiae labijs meis, terrena calcare, caelestia litare.

Caput II Ecce plasmator meus, multa rogavi, cum nec pauca promerui. Fateor, heu fateor, nō solum quae postulo nō debentur dona, sed multa & exquisita supplicia. Animant tamen me publicani, meretrices & latrones, qui a faucibus hostis momentanee eruti, sinibus excipiuntur pastoris. Tu enim factor omnium deus, licet in cunctis operibus tuis sis mira,

mira,